Tu verò D. Luppich, quod tui sit officii in uxore mea tractanda rectè memineris. Rogo ut sumtus, quos facis in ea alenda tibi graves vel molesti non sint, cum compensationem eorum nuper coram promiserim. Spero vos vinum, de quo inter nos conventum fuit, jam accepisse vel accepturos. Rectè curatur est negotium D. Cancellarii vestri, ideoq; compelles D. Pareum. Iterum vale.

Vester quem nôstis.

Ἐπιγραφή

Reverendo et Doctissimo viro D. Davidi
Pareo Pastori Ecclesiæ Wintzingensis
affini suo charissimo.

Neustadt.

54) Dne Magister Praetori amantiss. S. P. Binis literis Tuis respondeo. Quaestioni meae de stellarum progressu et regressu apparente abundè satisfecisti, de quo tibi gratias ago. Lectionum vestrarum ordinem probo. Doleo indies magis magisq; me à doct. hominum convictu et tuo inprimis, quem in oculis fero, tam longè esse remotum. Sed quevis vita habet suum incommodum, mihi quae molesta accidant in vita, eò videri debent minora, quod non possunt esse diuturna, quum ad finem properemus concitatissimo cursu. Magnam habeo gratiam de Kal. Pleming, lego diligenter. Allatum est quoq; Moestlini Germ. scriptum, quem ajunt esse reliquis, qui hic visi sunt, praestantiorem. Quae mea sit de hoc Pont. conatu sententia, aliis literis tibi ostendi. Paulus non vult nos in dierum observatione ἰουδαΐζειν. Scripsit huc quidam Theologus, magni nominis, quem tibi alias nominabo, quae mox subjiciam: ea ego, quò pertineant, non assequor. Rogo te ut divines, et tum eorum explicationem et sententiam tuam mihi perscribas. Mandavit Imperator subditis suis, ut Kalend: Pontif. recipiant, hic tamen nondum in usu esse coepit, ac ne in Bohemia quidem, quod sciam. Ut ad Theologi mysteria revertar. Putatne horas et quicquid est ejusmodi natura potius quam instituto esse? Deo illa V.T. exempla ita accipere videtur, ac si mutatum aliquid in motibus siderum et anni quantitate, vel adjectum vel imminutum fuisse existimandum sit. Numerum certè dierum

ex quorum

ex quorum collectione annus definitur et integratur, non variat longitudo aut brevitas, non magis est homo pusillus aliquis nanus et pumilio, quam Gigas aliquis vastissimus. Sed malo te audire, quum non intelligam magni illius Viri sententiam, quem nefas est, ad haec puerilia respexisse suspicari. Quare tuam opinionem cognoscere aveo. Mercator meus dum differt Nonii tui aut potius reliquam partem ex tuo descriptam, tum Graeca illa Mathematica Pappi, Norib. transmittere, me tibi vanitatis suspectum reddit, non sum profecto ex eo hominum genere, ut tute nosse potuisti. Omnino non conquiescam, donec extrudam. Rogo te, quum erit commodum, sciscitare ex Anglis illis mercatoribus, quibus Savilius noster utebatur, ecquid ab illo ad me acceperint, vel literarum vel librorum. Nam in proximis quidem suis ad me literis longam se epistolam et libros quosdam misisse jam scribit. Si tu quoque, vel illi aliquid de eo novi habetis, communicate. Cupio illi optime esse optimo et eruditissimo viro, nostrique amantissimo. Absolvistine jam illa Mechanica, quae illius suasu Pinello conficiebas in Comitis Montani lucubrationes? De Arist. lineis insecabilibus omnemne cogitationem deposuisti? Prodierunt Ramei quidam Mathematici his nundinis; Conatus non malus est, sed mihi tota illa ratio displicet. Freigii quoque quaedam vidisti, cujus mortem dolenter admodum tuli. Ornare seculum nostrum eloquentia et doctrina poterat; magnum Ramea methodus Patronum amisit. De Ottone si quid habebis, fac ut sciam, et remitte mihi Savilii demonstrationem, cum judicio tuo. Egone ut penitus toto divisos orbe adeam in hac aetate? hoc reipubl. statu? non ita insanio adhuc, Deo gratia, etsi certe tua et Savilii causa, si liberis et uxore carerem, ad Indias usque cupidissime vestri similes (si qui tamen sunt alii tales) deperream. Quoties de altera illa provincia cogito, obstupui, steteruntque comae. in Dei manu sunt sortes meae. Bullam Leonis cum Middelburgi sententia sequenti hebdomade accipies. D. Doct. Giphanio conjugium felicissimum evenire ex animo opto,

plurimam ei salutem adscribo, tum D. Edoni, D. Taurello, D.
Bergio, cujus interpretationem videre cupio. salutabis
quoque collegas et Amicos tuos, et Plazam meum. Quum otium
est rogo te, ne scribere graveris, quicquid in buccam ve-
niet, non deerunt tibi, sat scio, argumenta. Sit aliquid
semper ex pulvere illo erudito, aut quicquid occurret. Vale
et nos ama. Uxor et filii te tuamque feliciter valere
opt. Vreslæ 27. octobris 1583.

P.S. D. Thaddeus Pragam rediit, erit ei et mihi gratiss: quicquid in ejus dialexi emendabis.

Tuus Amicus et frater
Andr. Dudith.

55) D. Quirino Reutero suo s. Char.^me fr. S. P. Brevior sum
quod valde dubito, ne jam abieris, antequam hæ ad te perferantur
si nondum abiisti, quid tam diu siles? hæccine erant promissa
tua? negabas te idem facturum quod alii, quorum in scribendo
negligentiam accusabam, quod non stetissent promissis. Quid fa-
ciam? rogare possum, ne tui amantem seniculum magna
legendarum tuarum literarum voluptate prives; cogere
nec possum nec debeo. Hoc unum dico, et earum me esse per-
cupidum et mirari vehementer, quæ tanti sit causa silen-
tii? Mitto pecuniam D. Stenio, quantam hoc tempore mitte-
re possum, quod quidem mihi nunc perincommode cadit, mul-
tis magnisque aliis sumtibus et expensis exhausto. Pater Palu-
orum nihil mittit, differt in aliud tempus. Deum timet, bonus
vir et mei amans est. Illius ejus et filiorum causa etiam
supra vires aliquid faciendum est, hos quoque, vere tibi dico,
à Troilo sumsi. Non deero tamen in posterum quoque, modo
D. Stenius in tempore significet, quanta pecunia opus fuerit.
Me respiciat, non quenquam alium, ego eum non fallam. Si
isthic non satis tutum erit, diutius versari ob bellum, rogo vos
date operam, ut pueri vel Tubingam mittantur vel Argen-
toratum, vel si lubet, Heidelbergam, etsi fortasse eadem
illius quoque civitatis fortuna erit, quæ vestra si milites vo-
bis molesti sunt, sed hoc totum sit in D. Stenii judicio positum.
Rogo te